

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4722

Auteur(s) : Innocent III [pape]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : [1198-1216]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Innocent III met sous la protection du Saint-Siège le monastère de Bonport, dont il confirme toutes les libertés, immunités et exemptions.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° XLI, p. 38-42.

Texte établi d'après a

Innocencius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii de Bono Portu, ejusque fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis.

Religiosam vitam diligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium de Bono Portu, Ebroicensis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui, secundum Deum et Beati Benedicti regulam atque institutionem Cistercensium fratrum, a vobis ante concilium generale susceptam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Preterea, quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinenciis suis ; decimas de Crikebuef, de Santolio, et de Vallibus ; grangiam de Maresdans, cum omnibus pertinenciis suis ; molendinum de Poses, cum omnibus pertinenciis suis ; domos et possessiones quas habetis in civitate Rothomagi ; domos et possessiones quas habetis in haia de Vedano ; clausum de Lerie, cum omnibus pertinenciis suis ; vineas quas habetis in Duol, Houmechon, Sancto Graciano, Blesmu, Bougival, Gavreio et in Vallibus, cum omnibus pertinenciis earumdem ; annum redditum centum marcarum argenti, in villa que dicitur Dieppa ; viginti carrucatas terre, usum lignorum et pascua in foresta de Bord ; decem carrucatas terre, usum lignorum et pascua in foresta de Eviaiz ; jus in aqua Secane, a Ponte Arche usque ad falesiam de Mueis, cum redditibus et pictionibus suis ; prata Vallis Rodolii, Loci Veris, Vicarville, Hume et Lire, cum omnibus pertinenciis suis ; molendinum de Landemare, cum omnibus pertinenciis suis cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Sane laborum de possessionibus habitis ante concilium generale ac eciam novalium que propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de ortis et virgultis et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes, ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine abbatis sui licencia de eodem loco discedere ; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cauzione nullus audeat retinere. Quod si quis forte retinere presumpserit, licitum vobis sit in ipsis monachos vel conversos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari absque consensu tocius capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donationes vel alienationes, aliter quam dictum est, facte fuerint, eas irritas esse censemus.

Adhuc eciam prohibemus ne aliquis monachus, sive conversus, sub professione vestre domus astrictus, sine consensu et licencia abbatis et majoris partis capituli vestri, pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, ultra summam capituli vestri providencia constitutam, nisi propter manifestam domus vestre utilitatem. Quod si facere forte presumpserit, non teneatur conventus pro hiis aliquatenus respondere.

Licitum preterea sit vobis in causis propriis, sive civilem, sive criminalem, contineant questionem fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium jus vestrum in aliquo valeat deperire.

Insuper, auctoritate apostolica inhibemus ne ullus episcopus, vel quelibet alia persona, ad sinodos vel conventus forenses vos ire vel judicio seculari de vestra propria substancia, vel possessionibus vestrarum subjacere compellat, nec ad domos vestrarum causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi, venire presumat, nec regularem electionem abbatis vestri impedit, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus, in cuius parrochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac devotione qua convenit requisitus, substitutum abbatem benedicere et alia que ad officium episcopale pertinent vobis conferre renuerit, licitum sit eidem abbatii, si tamen sacerdos fuerit, proprios novicios benedicere et alia que ad officium suum pertinent exercere, et vobis omnia ab alio episcopo percipere que a vestro fuerint indebitate denegata. Illud adicientes ut, in recipiendis professionibus, que a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma et expressione contenti, que ab origine ordinis noscitur instituta, ut scilicet abbates ipsi, episcopo salvo, ordine suo profiteri debeant, et contra statuta ordinis sui, nullam professionem facere compellantur.

Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo, quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat ; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem apostolice sedis habentem, qui, nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat.

Quod si sedes diocesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis ; sit tamen ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum prejudicium generetur. Quia vero interdum proprii episcopi copiam non habetis, si quem episcopum romane sedis ut diximus gratiam et communionem habentem et de quo plenam noticiam habeatis per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum, auctoritate apostolice sedis recipere valeatis.

Porro, si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas, suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgaverint, sive eciam in mercennarios vestros, pro eo quod decimas, sicut dictum est, non persolvitis, sive aliqua occasione eorum que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate prestiterint, vel ad laborandum adjuverint in illis diebus in quibus vos laboratis et alii feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra sedis apostolice indulta prolatam decernimus irritandam. Nec littere ille firmitatem habeant, quas tacito nomine Cistercensis ordinis et contra indulta apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari.

Preterea cum commune interdictum terre fuerit, liceat vobis nichilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare.

Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violenciam audeat exercere.

Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus, ordini vestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum, a regibus et principibus vel aliis fidelibus, rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti privilegio communimus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus, omnimodis profutura ; salva sedis apostolice auctoritate, et in predictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco, sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipient, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.